



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. De Picentibus seu Piceno.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

non procul ab Anienis, & Tiberis confluentiis Latio. Tempore Tullij florebat, Horatij deficiebat: Strabo ait sua ætate tantum villam fuisse, quomodo ergo eodem tempore sub Tiberio casu theatri tot hominum millia obruti sunt?

Corniculum vnde montes Corniculani, situm *ad turrem Vergatam.*

§. 3. *De Samnitibus qui proles Sabinorum dicuntur, Historica.*

HIS complectimur Picentes (& ab iis decerptos Picentinos, de quibus in Campaniâ) Vestinos, Marrucinos, Frentanos, Pelignos, Marfos, Samnites propriè dictos, & eorum consanguineos Hirpinos, quos omnes ex Sabinis oriundos disertissimè Strabo asserit.

NVM. 1. *De Picentibus, seu Piceno.*

NOMEN. Olim dicebantur Picentes, modò Picentini; sed ex quo Picentini in agro Campano collocati sunt ad mare inferum, hi desierunt appellari Picentini; apud Stephanum perperam Piciantes nominantur, ab aliis etiam Paciantes. Regio autem modò ager Picenus, modò Picenum dicitur, Appiano Πικηνὸς ἄγος, Straboni Πικερτίνη.

ORIGO. Picentes orti sunt à Sabinis; sic Strabo, & Plinius: inde emigrarunt in hæc loca aue Pico eos deducente, inquit Strabo lib. 5. Festus ait eorum vexillo Picum aue insedis. Silius tamen putat hanc Coloniam deduxisse Picum Regem: ex eâ autem regione Siculos & Illyricos depulerunt. Reperiuntur tamen aliqui apud Festum Pompeium qui Picentes accersant ex Illyrico, & inde dicant profectos sub hospitiiis regis sui Volsini, cui cognomen Lucullo fuit; eius autem nepotes fuisse Pacinum & Pelicium à quo Picentes, & Peligni vocibus nonnihil detortis appellati sunt.

QUALITAS. De agri huius fertilitate vide Strabonem lib. 5. Liniuum 22. Florum lib. 1. cap. 14. fuit autem hæc regio tam populosa, vt scripserit Plinius lib. 3. cap. 13. anno V. C. 485. trecenta septuaginta millia Picentium in fidem populi Romani venisse.

FINES. *Ab Oriente mari supero Picenum cluebatur; ab Occidente Æsi Fl. & lineâ ab eius medio ducta ad montem Fiscellum, quibus*

bus ab Umbriâ distinguebatur; à *Septentrione* mari quoque Supero tingebatur; denique à *Meridie* fluvius *Marrinus Atri*, hos à *Vestinis* disiungebat.

DIVISIO. Picenum aliud est Verum, aliud Adiectitium: tres autem agri additi sunt Piceno, *Palmensis*, *Prætutianus*, & *Hadrianus*.

PALMENSIS AGER, cuius mentionem facit Plinius, ut Cluenerius arbitrabatur extendebatur à Truento fluuio *Tronto* ad Heluinum Fl. hodie *Salineli*: sed iam pridem accesserat Piceno: expulsis ex eo Liburnis: & eius extare vestigia putat Cluenerius in turre maritimâ, vulgò *Torre di Palma*.

PRÆTUTIANVS, aliter Præcutinus, & Præcutius, ut vult Leander, vnde vina Prætutiana Plinio. Hic autem ager sicut & subsequens à Piceno distinctus erat, nam Lilius post agri Piceni mentionem ait subsequi agros Prætutianum, & Hadrianum.

HADRIANVS ab Hadriâ vrbe nomen accepit, quam suspicor fuisse Coloniam Etruscorum qui ad Padum accolebant, & hic ager quemadmodum & præcedens tantum sub Imperatoribus adiecti sunt Piceno.

NVM. 2. De Vestinis.

NOMEN. Suidas *Βεστίνες* appellat, & sic dictos esse credit ob ferinos, & belluinos mores *ἔθρος ἡμεῶδες τὸν τρυόπον*.

ORIGO. Quænam fuerit eorum origo dubitatum à quibusdam. Samniticam gentem vocat Strabo; alij tribuunt illis genus Illyricum. Vestini fuere fortissimi, seu cum prima gessere bella cum Romanis, seu eos sequuti sunt ad orbem edomandum, seu cum bello Marsico tam fortiter cum aliis locis pugnaere.

FINES. A *Septentrione* *Marrino* Fl. diuiduntur à Piceno; ab *Occidente* *Aterno* Fl. à *Marsis*; ab *Meridie* eodem *Aterno* *Pescara* à *Pelignis*, & *Marrucinis*: ab *Oriente* denique *Supero* mari verberabantur.

NVM. 3. De Marrucinis.

NOMEN & ORIGO. Aliter *Maruncini*, corruptè *Appiano* *Maurocini*: à *Marsis* nomen habent sic loquente *Catone*, *Marrucini* de *Marsio* detortum nomen.

Parall. Geogr. Tom. II.

I I i